C salutarem esse. Subuenit & phthisicis in sorbitione. Auiditatem cibi facit. Phalangiorum morsus restringit. Vlcera quoque in facie aut capite succus eius in aqua triduo maceratæ sanat.

DE MELILOTO. CAP. CXCIX.

NOMINA.

Sertula cur dicta. Corona regia. ΜΕΛΙΛΩΤΟΣ Græcis, Melilotus, Sertula campana, & Corona regia Latinis dicitur. Meliloti nomen officinæ retinuerunt. Sertulam uerò dixerunt, quod flos eius coronamentis dicatus sit, & quia ex ea antiquitus coronæ & serta factitata sint. Coronam autem regiam, quoniam luteis floribus supernè coronetur.

GENERA.

Vulgaris Melilotus. Tria Meliloti hodie faciunt genera. Primum uulgarē, statim à radice fruticosam, cubitalem, folio fœnigræci minuto ac lentè fimbriato, flosculo luteo, odoris suauis, tereti per ramos diffuso semine. Hoc quanquam tertio generi, quod nos uerum esse putamus, foliis & floribus simile sit, tamen cum nullam gustu præ se ferat adstrictionē, quam summè requirunt Dioscorides, Galenus & alij ueteres medici, & præter amaritudinē haud exiguam acrimoniā habeat, fit ut inter Melilotos, meo quidem iudicio, rectè cōnumerari non possit. Hinc est quod nos infrà, hanc alio nomine dignati sumus, Saxifragamq; luteam appellauerimus. Alterum aspectu cano, Croci flore, foliis Trifolij, minutissimis, ut paulò pòst fusius dicemus. Hoc sanè genus nos Melilotum germanicā uocauimus, quod illa, & non prior, in Germania nostra pro uera Meliloto sit usurpanda, ob adstrictionem illam manifestam quam gustu præfert. Accedunt folia quæ pinguia sunt, & flores Croci colorē referentes, quos Dioscorides requirit. Sententiā nostram confirmat antiquus manuscriptus herbarius, qui hanc pro Meliloto pingit. Neq; obstat quod hæc herba non admodum odorata sit: fatemur enim non esse laudatissimam Melilotum, sed eam quam Germania nostra profert. Nam quum Plinio lib. xxi. cap. xi. teste, Melilotus ubiq; nascatur, suam quæuis habeat ferè regio necesse est. Nihil igitur mirum si huicherbæ non adsint singulæ notæ, quas illi ueteres Græci & Latini attribuunt. Satis autem est ei mistam quandam, nempe adstringentē & digerentem inesse facultatem, haud secus quàm optimæ. Germani hanc herbā nominant Vnser frawen schůchlin/uel wilden klee. Tertium genus nos optimam & legitimam esse arbitramur Melilotū, quam nos maioris discriminis causa Italicam nuncupauimus, quod mos sit patrius Germaniæ nostræ, omnia ferè peregrina uocare Italica. Germanicè itaq; haud ineptè welscher Steinklee nominabitur.

D

Germanica Melilotus.

Italica Melilotus

FORMA.

Melilotus Germanica. Italica. Vulgaris Meliloti descriptionē inuenies suo loco. Germanica, herba est humilis, palmi altitudine, folio pratensis Trifolij, pingui & cano, flore pisi, minore tamē, luteo, semine in siliquis, radice rufa. Italica, quam è Campania allatam in Germaniam arbitror, caulem habet subrufum, rotundū, folium fœnigræci, in ambitu serratum, flore luteo, odorato, semine in siliqua lunata, ut pictura luculenter ostendit. Tota etiam herba odorata est, ut hinc etiam conijcere liceat ueram esse Melilotum.

LOCVS.

Germanica passim in pratis Germaniæ, montosis potissimum, nascitur, Italica in Germania, nisi sata fuerit, non prouenit. In Campania uerò circa Nolam, Dioscoride teste, copiosè nascitur.

TEMPVS.

Floret ferè per integram æstatem utrunque genus, Siliquas tamen in fine Iulij & Augusto mense proferunt.

TEMPE-



MELILOTVS GERMANICA.